



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Mirabile discrimen piorum & impiorum defunctorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

fabiles solebat audire jubilos, & supra humanam estimationem dulces. Hac celestis modulatio, post depositionem domini David, dulcior & magis intelligibilis audiebatur. Pertinet hoc ad magnos triumphantium applausus, ut habeant non tantum acclamantes, sed etiam cantu & musica omnis generis instrumentorum prosequentes. Quid ni & Angeli exeant obviam Sanctis, quorum corpora ad sepulchrum, animæ ad celum gradiuntur? Hoc est enim: *Et cantent in vijs Domini, quales utique sunt, per quas ad Deum itur.*

## CAPVT LXVII.

*Cur malis multis bonam, & multis bonis malam Deus permittat obuenire sepulturam?*

I.  
Caesarius. hi-  
stor. memo-  
rab. lib. 10.  
cap. 41.

**M**irabile quiddam accidit in Saxonia, Anno Redemptoris 1222. Nam nubes densa vno casu ex aere delapsa, intra duos montes, omnia aquis impleuit, magnamque & hominum, & pecorum stragem edidit; neque sepes tantum, sed etiam officinas euertit, supellectilemque omnem, quam arripuit, deuexit. In P.P. Benedictinorum monasterio, quod Winendenburg vocabatur, ex omnibus, quotquot aderant, nemo mortem euasit, praeter quinque Religiosos, qui ad turrim confugientes se saluarunt. Paria fecit idem torrens in vicina ciuitate Iffere, vel Illene dicta. Putasses saeculum Pyrrhae & Deucalionis rediisse. Sed longè luculentiore signo Deus, quam fides Iuppiter, tunc probos ab improbis discriminauit. Siquidem aquis decrepescibus, & terra resecta, mirabili modo suffocati differebant. Quotquot enim in templis, aut aedibus suis inundatione deprehensi interierant, reperti sunt colore candidissimo, instar niuis enitescere; illi autem, qui in theatris, in popinis, in tabernis cauponum, vel lupanaribus, inter scortorum totius vrbis ambubaiarumque ministeria extincti erant, carbonibus nigriores apparuerunt. *Tali enim caractere Deus bonos distinguebat à malis. Quem morem etiam veteres tenuerunt. Siquidem*

*Mos erat antiquis, niuis atrisq; lapillis,*

*His damnare reos, illis absolueret culpa.*

Hoc discrimen, si Deus vbiq; obseruaret, facile esset bene mortuos,

tuos, à malè defunctis discernere: quia bonos in bona, malos in mala sepultura cognosceremus. Nunc verò experimur sæpe contrarium fieri, vt pessimi quique & scelestissimi, & mille patibula, mille rotas, mille ignes meriti, magnificis sepulchris Mausoleisq; honorentur; optimi autem, & quorum animæ inter caelestes gloriosè triumphant, eorum corpora, vel insepulta jaceant, vel in mare, immò in fimum atque cloacas abijciantur. Si ergo cura est Deo non modò de animabus, sed de capillis quoque capitis Sanctorum suorum, cur tot pios inhonestè, impios magnificè sinit sepeliri? An, qui justus est in viuos, obliuiscitur mortuorum? *Numquid iniquus est DEVS? & qui zelauit super iniquos, ipse numerabitur inter eos, qui operantur iniquitatem?* Nequaquam. Et si enim apud D. Augustinum nonnulli ita argumententur: *Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis, aut nulla;* tamen re ipsa ostendemus, nec impio prodesse sepulturam pretiosam, nec pio nocere vilem, aut nullam.

Matth. 10. 30.

Rom. 3. 5.

Psal. 71. 30.

Iob. 4. 8.

S. Augustin.  
lib. 1. de ciuita  
cap. 11.

## II.

Ad impios ergo quod attinet, acquirunt illi sanè sæpè numero pompasam funeris deductionem, & sepulchra ex marmoribus ædificata. 1. Quia hæc est mundi vanitas, vt quemadmodum alios decipit, ita vicissim & ipse decipiatur. Sicut ergo frequenter bonos iudicat esse malos; ita pessimos quoque fallaci iudicio optimos arbitratur. Quid igitur mirum, si tales sepelit honorate? Hanc causam Ecclesiastes clarè indicat, dum ait: *Vidi impios sepultos: qui etiam, cum adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate, quasi justorum operum. Sed & hoc vanitas est.* 2. Quia etsi illorum quoque multi magnificè sepeliuntur, quos constat, omnium scelerum sordibus inquinatos esse; tamen ea probatio est hominum rectè sperantium, vel temerè iudicantium non esse prouidentiam in mundo. *Etenim,* vt statim inibi subiungit Ecclesiastes, *quia non profertur citò contra malos sententia, absq; timore villo filij hominum perpeerant mala.* Dicunt enim: Quid prodest mihi à voluptatibus abstinere, si etià malè viuentes bene sepeliuntur? Aliter Ecclesiastes ibidem, in persona sapientis loquitur, dum ait: *Attamen peccator ex eo, quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui, quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius.* Vident enim,

Eccl. 8. 10.

Eccl. 8. 13.

enim,